Quelle: http://manuscripta.at/?ID=445
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



263

MANO

tam: ⁊ ego retribuam dicit dñs. Sz si esurierit inimicus tuus: ciba illũ: si sitit. potum da illi. hoc enim faciens: carbones ignis congeres super caput eius. Noli vinci a malo: sz vince in bono malum. .xiii.

Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi a deo. Que autem sunt a deo: ordinata sunt. Itaq; qui resistit potestati: dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt: ipsi sibi dampnationem acquirunt. Nam principes non sunt timori boni operis. sz mali. Vis autem non timere potestatem: fac bonum: ⁊ habebis laudem ex illa. Dei enim minister est tibi in bonũ. Si autem male feceris: time. Non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est ultor in iram. ei qui male agit. Idcoq; necessitate subditi estote: non solum propter iram. sed ⁊ propter conscientiam. Idcoq; enim ⁊ tributa prestatis. Ministri enim sunt dei in hoc ipsum seruientes. Reddite ergo omnibus debita. Cui tributum. tributum. Cui uectigal. uectigal. Cui honorem. honorem. Cui timorem timorem. Nemini quicquam debeatis: nisi ut inuicem diligatis. Qui enim diligit proximum: legem impleuit. Nam non adulterabis. non occides. non furabis. non falsum testimonium dices. non concupisces rem proximi tui: ⁊ si quid est aliud mandatum: in hoc uerbo instauratur. Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio. Et hoc scientes. quia hora est iam nos de somno surgere. Nunc enim propior est nostra salus. quam cum credidimus. Nox precessit. dies autem adpropinquauit. Abiciamus ergo opera tenebrarum. ⁊ induamur arma lucis: sicut in die honeste ambulemus. Non in comessationibus ⁊ ebrietatibus. non in cubilibus ⁊ impudicitiis. non in contentione ⁊ emulatione: sz induimini dñm ihm xpm. Carnis curam ne feceritis in desideriis. .xiiii.

Infirmum autem in fide assumite. non in discriptationibus cogitationum. Alius enim credit manducare se omia. Qui autem infirmus est: olus manducet. Is qui manducat: non manducantem non spernat. Et qui non manducat: manducantem non iudicet. Deus enim illum assumpsit. Tu quis es qui iudicas alienum seruum: Suo domino stat aut cadit. Stabit autem. Potens est enim dñs istum statuere illum. Nam alius iudicat diem inter diem: alius iudicat omne diem. Unusquisq; in suo sensu habundet. Qui sapit diem: domino sapit. Et qui manducat: domino manducat. Et qui non manducat: domino non manducat. ⁊ gras agit deo. Nemo enim nrm sibi uiuit: ⁊ nemo sibi mori. Siue enim uiuimus domino uiuimus. siue morimur domino morimur. Siue enim uiuimus siue morimur: dñi sumus. In hoc enim xps mortuus est ⁊ resurrexit: ut ⁊ uiuorum ⁊ mortuorum dominetur. Tu autem quid iudicas fratrem tuum: Aut tu quare spernis fratrem tuum: Omnes enim stabimus ante tribunal xi. Scriptum est enim. Viuo ego dicit dñs. quoniam mihi flectetur omne genu: ⁊ omnis lingua confitebitur. Itaq; unusquisq; nrm rationem pro se reddet deo. Non ergo amplius inuicem iudicemus. Sz hoc iudicate magis. ne ponatis offendiculum